

belli imperium sibi parasse, et rursus illud idem, successione hæreditaria, donatione Græcorum, et electione Romanorum obtinuisse, simul certe contendit, non accipisse id munus a solo Deo.

Duo tamen sunt loca in eo Illyrici libro, quem refellendum suscepimus, quæ satis aperte significant, traditum imperium Carolo Magno fuisse divinitus. Prior locus est pag. 5. ubi ex eo probat Illyricus, non potuisse Papam transferre imperium; quia Dei solius est posse dicere: Mea sunt omnia ego do ea cui volo: ego transfero regna ac monarchias de gente in gentem meo arbitrio. Sed si hoc argumentum aliquid efficeret, efficeret etiam, nullum omnino principem electione hominum fieri, et quoniam non solum Dei solius est regna transferre, sed etiam non est potestas nisi a Deo, ut Apostolus ait Rom. XIII. rursus efficiemus, nec regem prætori, nec populum magistratui, nec dominum servis, nec parentem liberis ullam potestatem posse tribuere.

Si quis vero pro Illyrico forte respondeat, ita esse Deum auctorem primum, ac præcipuum omnis potestatis, atque ab eo potissimum ita imperia omnia et regna transferri, ut modo tamen id per se, modo per alios faciat, is quoque pro nobis poterit Illyrico respondere, imperium Romanum a Græcis ad Francos, Pontificis auctoritate translatum a Deo esse translatum; id enim Deus fecit, sed opera Vicarii sui. Nam quod vicarius accepta a principe auctoritate facit, id etiam princeps ipse facit.

Posterior locus est pag. 61. ubi ex nescio qua visione Constantini imperatoris Constantinopolitani, Illyricus probat, divino mandato Carolum Magnum imperatorem esse constitutum. Sed indignum est argumentum, cui respondeatur. Primum enim auctor ejus visionis non satis magnam fidem apud homines doctos habere solet. Nam etsi vir probus, ac pius fuerit, multa tamen fabulosa operi suo inseruit. Itaque more suo mentitur Illyricus, cum auctorem hunc antiquissimum, atque ita authenticum esse dicit, ut ejus scripta Catholicis quasi propria adyta, et quasi sacra esse, videantur. Deinde ipsa visio (seu vera seu falsa fuerit) nullam mentionem imperii facit. Hæc enim est summa visionis: (Vincentius lib. XXIV. Speculi cap. 4.) Cum egeret auxilio adversus barbaros imperator Constantinus Copronymus, per quietem a Deo monitus est, ut Carolum re-

gem Francorum adiutorem in eo bello susciperet. Ergo quod Illyricus addit, tum divino jussu datum esse Carolo imperium Occidentis a Constantino, figmentum Illyrici est, nisi forte ipse quoque in quiete somnium aliquod vidisse se dicat. Sed fac postremo et visionem Constantini veram esse, et ea Carolo imperium Occidentis promissum; quid aliud inde colligi posset, quam id imperatori Græco a Deo fuisse divinitus indicatum, quod postea est factum, cum Carolo Pontificis Maximi auctoritate imperator Occidentis salutatus est? Sic enim et Nabuchodonosor somnio divinitus immisso didicit imperium suum ad Persas, et Medos, inde ad Græcos, postremo ad Romanos transferendum, nec ullus inde colligit, jussu fuisse a Deo Nabuchodonosor regem, regnum suum cum Persis et Medis communicare.

#### CAPUT IX.

##### *Imperium Romanum non venisse ad Carolum jure hæreditario.*

Tertius expendendus titulus est, jus successionis hæreditariæ. Quo titulo non venisse ad Carolum imperium Romanorum, nemo negare potest, nisi qui aut nimium sit impudens, aut in historiis nihil legerit. Si quidem extra controversiam est, Pipinum, Caroli Magni patrem, ex præfecto sive magistro aulae, regem Francorum dictum esse; idque Zachariæ et Stephani Romanorum Pontificum auctoritate. Auctores nos supra citavimus cap. 2. mendacio 19; imperatorem Romanorum fuisse Pipinum nemo scripsit. Quare cum ex Pipini patris successione nihil aliud Carolus habere potuerit, nisi quod Pipinus habuit; efficitur profecto, Carolum jure hæreditario non imperatorem Romanorum, sed Francorum regem solum, idque non sine Pontificis Maximi beneficio in patrem ejus antea collato, esse potuisse.

Deinde certum, exploratumque est, Carolum Magnum post obitum Patris, ab Adriano Pontifice Patritium Romanorum (quæ est dignitas secunda post imperatoriam) esse creatum, ut nos supra demonstravimus. Quis vero sibi persuadeat, Carolum Magnum passurum fuisse, fieri se ex imperatore Patritium? Idem enim fuisse, ac si aliquis hoc tempore in suo regno aut prorex, aut præfectus urbis, honoris ergo diceretur.

Accedit postremo, fieri nullo modo posse,

ut successione hæreditaria Romanum imperium Carolus Magnus acceperit, nisi falsum sit quod omnes historici summa consensione tradunt, fuisse Carolum Magnum, primum imperatorem ex gente Francorum.

Sed videamus quid Illyricus contra proferat. Is igitur Odoacrem Herulum, Theodoricum Gothum, et Clodoveum Francum, Romanos imperatores fuisse contendit: et quoniam ii Germani, vel certe ex Germania oriundi erant, eorum imperium hæreditaria successione ad Carolum Magnum devolutum esse colligit, ac primum pag. 21. 22. 23. 24. et 25. Odoacrem imperatorem fuisse, sex rationibus probat, quas ego, Deo juvante, sex mendaciæ esse demonstrabo.

Affirmat primo a Leone Bessicano, Græco imperatore, tributum fuisse Odoacri imperium Occidentis: ita Odoacrem imperatoris auctoritate imperatorem legitime creatum. « Romani, inquit Illyricus, seu potius Constantinopolitani imperatores, sæpius jus Occidentalis imperii Germanis tradiderunt, quod authenticis historiis, Christo juvante, contra Papalium adulatorum mendaciæ probabimus. Prima igitur translatio facta est sub Leone Bessicano Constantinopolitano imperatore, circa annum 460. in Othacarum, aut Odoacrem, a militibus Romanis, teste Alciato. » Hæc ille: qui etsi non dicat a Leone, sed sub Leone imperium translatum esse in Odoacrem, necesse tamen est, ut aut velit Leonis auctoritate id factum esse, aut ipse non sibi constet. Proposuit enim se probaturum, sæpius imperium a Græcis imperatoribus traditum esse Germanis, et continuo subjungit primam communicationem sub Leone Bessicano esse factam. Sive autem Alciato id scripserit (neque enim usquam id in Alciato reperire potui) sive non scripserit, falsum est quod hic asseritur. Cassiodorus enim in Chronico, sub Zenone, qui tertius fuit a Leone Bessicano, scribit Odoacrem Italiae regem factum, Leone Bessicano jam defuncto: quod idem scribunt et cæteri graviores historici, ut Beda de sex ætatibus in Zenone, Marcellinus comes in Chronico, Paulus Diaconus lib. XVI. rerum Romanarum, Ado Viennensis in Chronico, Abbas Urspergensis item in Chronico, Otho Frisingensis lib. IV. cap. 30. Joannes Nauclerus generat. 16. Onuphrius in libro primo de principibus Romanis; et, quod magis est mirandum, Illyricus ipse centur. 5. cap. ultimo colum. ultima; ut jam eum non

solum mentiri, sed etiam sibi repugnare necesse sit. Itaque falsum est quod de Leone Bessicano hoc loco scribit Illyricus.

Sed forte erratum est solum in nomine, et Zeno imperator imperium Odoacri tradiderit: quod fecisse Leonem, falso dictum fuerat. Immo non solum in nomine, sed etiam in re ipsa erratum est. Tantum enim abest, ut Zeno imperator imperium Occidentis Odoacri tradiderit, ut nihil gravius tulerit, quam ab eo Italiam per vim et tyrannidem occupatam. Ut enim Abbas Urspergensis scribit, Odoacer regnum Italiae invito Zenone possedit: ac proterea Theodoricum Gothum cum exercitu ad Italiam Zeno misit, ut inde Odoacrem tyrannum, atque oppressorem Urbis et Italiae expelleret; quod etiam plerique alii scripserunt, ut Procopius lib. I. de bello Gothorum, Jornandes in commentario de rebus Geticis, Leonardus Aretinus in I. lib. de bello Italico, Paulus Diaconus lib. XVI. rerum Romanarum, Blondus Decadis primæ lib. III. Nauclerus generat. 26. Freculphus tom. II. Chronicorum. lib. V. cap. 18. nec ullum omnino me legisse meminisse, qui contra scriberet, præter unum Illyricum.

Addit 2. Illyricus Odoacrem a militibus Romanis in monarcham electum, cum esset ipse etiam unus ex primoribus ducibus ac principibus Romanorum. Sed hic quoque duo mendaciæ sunt. Nam historici omnes supra citati testantur, Odoacrem non alios milites habuisse nisi barbaros, reliquias videlicet exercitus Attilæ regis Hunnorum; atque ab iis militibus regem appellatum, cum capto Ticino, Romanas legiones ad interneccionem delevisset, scribit Carulus Sigonius lib. XIV. de imperio Occidentali, quod plane congruit cum eo, quod scribit Procopius lib. I. de bello Gothico, Odoacrem non a Romanis, sed a Gothis militibus petiisse, ut se Romanum regem constituerent.

Porro summa dignitas, quam apud Romanos adeptus est, antequam regnum in Italia sibi vindicaret, ea fuit (si Procopio credimus lib. I. de bello Gothorum) ut armiger esset Orestis, magistri militiæ Romanorum. Quocirca non dux, aut princeps in exercitu Romano, sed famulus unius ex ducibus Romanis Odoacer antea fuerat. Sed placuit Illyrico eum ex armigero principem facere, et ex ordine servorum, in ordinem senatorum mendacio suo provehere, quamquam eo tempore, quo rex Italiae creatus est, ni-

hil omnino commune cum Romanis habebat. Discesserat enim jam antea ex Italia, et in patriam profectus, multitudinem variam barbarorum collegerat, ut cum ea Italiam, dissensionibus principum laborantem, opprimeret. Nec solum Romani principis dignitatem eo tempore non habebat, sed neque civilem ullum cultum, ac ne indumenta quidem, nisi rusticana, et barbara. Siquidem iter facienti Odoacri cum exercitu per Noricorum rura (ut scribit Paulus Diaconus in vita Augustini, et post eum Abbas Uspergensis in Chronico) S. Severinus victoriam in hæc verba prædixit: Vade nunc ad Italiam, vade Odoacer, vilissimis interim animantium pellibus indutus, multis cito plura largiturus.

Tertiam rationem sumit Illyricus ex ambiguis quibusdam verbis Blondi Flavii. Quod enim Blondus scripsit lib. II. decadis primæ, turbinem illum irruptionis Odoacris in Italiam a Romanis civibus, Augustuli æmulis, suscitatum, sic Illyricus interpretatur, ut primarii Romanorum Odoacrem vocaverint, ac Romanum imperatorem contra Augustulum appellaverint. Atque addit, non defuisse graves causas creandi novi imperatoris, et suscipiendi arma contra Augustulum, Sed hæc interpretatio cum ipso Blondo pugnat. Blondus enim in eodem libro non modo non meminit illius expeditionis Romanorum pro Odoacre adversus Augustulum, sed etiam disertis verbis testatur, nullum novum imperatorem post Augustulum esse creatum a Romanis; sed in Augustulo periisse atque omnino extinctum fuisse Occidentale imperium; Odoacrem vero non Romanorum imperatorem, sed Italiæ dumtaxat regem fuisse. Itaque verba illa Blondi de turbine irruptionis Odoacris, ab æmulis Augustuli suscitato, si cum aliis Blondi, ac cæterorum historicorum sententiis consentire debent, nihil aliud significare possunt, quam ex mutuis odiis, et contentionibus principum Romanorum, quibus ad extremam debilitatem imperium Occidentale paulatim devenerat, occasionem accepisse Odoacrem Italiam occupandi. Quod planius loco paulo ante notato his verbis Sigonius explicavit: Odoacer fama rerum, quæ sæditiose gererentur in Italia percipit, vehementius ad illius cupiditatem exarsit. Animum vero ejus incendit, ac prope certa victoria fiducia incitavit ipse imperator Momyllus, cujus in tanta populorum dissensione infirmissimas opes esse comperiebat.

Quarta Illyrici ratio similis est superiori. Nam quia Blondus Flavius lib. III. decadis primæ, scriptum reliquit, Odoacrem a Romano populo summis honoribus affectum, inde ipse colligit, Odoacrem a Romano populo imperatorem sine dubio salutatum. Qui poterant, inquit, alii esse isti summi honores a populo tam cupide oblato Odoacri, nisi imperium de quo nunc prior imperator victus novo victorique cedebat? Sed non est cur in hoc argumento diluendo diutius hæreamus: explicat enim eodem loco Blondus, qui fuerint summi illi honores, dum ait, Odoacrem ab universo populo regem Italiæ salutatum, et in Capitolium, tamquam Urbis dominum, festivis acclamationibus deductum. Deinde quidquid ei honoris populus, aut senatus obtulerit, imperatoris certe titulum Odoacer numquam admisit. Sive enim verecundia Augustalis majestatis, ut quidam volunt, permotus fuerit, sive barbara superbia, eversi potius, quam parti imperii, gloriam maluerit, illud ex Mariano Scoto, et Aurelio Cassiodoro in Chronico constat, solo eum regio nomine contentum, purpura, et diademate, aliisque regalibus insignibus perpetuo caruisse.

Ex quo solvitur etiam quantum Illyrici argumentum, quod ex jure belli depromptum est. Id enim jus belli postulare videtur, ut victoris fiant, quæ is qui victus est antea possidebat. Sed præterquam quod Odoacer, ut supra dictum est, solo Italiæ regno contentus, ad jus universi imperii, et Augustalem dignitatem minime aspiravit, non jus, sed injustitia belli dicenda est, cum quis alienam provinciam, nulla injuria provocatus, sola regnandi cupiditate invadit: quod Odoacrem fecisse Procopius scribit lib. I. de bello Gothico. Hoc pacto, inquit, sibi tyrannidem cum comparasset, ad decimum annum tyrannidem stabilivit, neque a Procopio scriptores cæteri dissentiunt.

Sextum denique ac potissimum argumentum Illyricus ducit ex augustali abdicatione. Quoniam enim Odoacre Italiam invadente, Augustulus imperator sponte purpuram abiecit, atque ab Odoacre vita donatus est, ratiocinatur Illyricus Augustulum imperatorem imperium suum Odoacri pacifice tradidisse. « Non est dubitandum, inquit Illyricus, qui id ipsemet regi Odoacri renuncia-verit, ut sibi modo vitam largiretur ». At levior conjectura est, quam ut opponi possit tot historicorum testimoniis, qui in Augu-

stulo Occidentale imperium defecisse constanter affirmant. Nec enim in Augustulo defecisset, si Odoacrem successorem Augustulus habuisset. Quia vero eodem in loco bis mentitur Illyricus, cum ait, Italicos scriptores solos tunc scripsisse, et ex invidentia inter imperatores Romanorum Odoacrem numerare noluisse, abscribere hic operæ pretium duxi testimonia Germanorum, qui cum Italicis in hac re describenda mirifice consentiunt.

Jornandes Gothus ante omnes Italicos de hac re scripsit, cum Justiniani tempore flourerit, ante annos 1000. Is igitur sic loquitur in lib. de rebus Geticis, Odoacer, inquit, Turcilingorum rex, habens secum Seyros, Herulos diversarum gentium auxiliarios, Italiam occupavit: et Oreste interfecto, Augustulum filium ejus de regno pulsum, in Lucullo Campaniæ castello exilii pœna damnavit. Sic quoque Hesperium Romanæ gentis imperium, quod 709. Urbis conditiæ anno primus Augustorum obtinuit Octavianus, cum hoc Augustulo periit, anno decessorum, prædecessorumve regni 522. Quod idem repetit in libro de regnorum ac temporum successione.

Idem tradit, ac prope verbis iisdem, Freculphus Lexoviensis tom. II. Chronicorum lib. V. c. 17. qui auctor cum tempore Ludovici Pii ante annos fere 800, vixerit, sine dubio plerosque Italicos scriptores antecessit. Id ipsum testantur Otho Frisingensis lib. IV. Historiciæ. cap. 31. et Conradus Abbas Urspergensis in Chronico, cujus verba (quia diligentissime annorum numerum continent) hic adscribam: « Augustulus, inquit, sponte purpuram abiecit, et imperialem majestatem deposuit. Ita Romanum imperium toto orde venerandum, et Augustalis illa sublimitas, quæ ab Augusto quondam Octaviano 709, a condita Urbe anno cœpit, in hoc Augustulo periit, anno ab Urbe condita 1227, a Cæsare vero, qui primus singularem in ea principatum arripuit anno 524, ab Incarnatione Domini anno 477. » Hæc ille. Consentiant Joan. Nauclerus generat. 16. et Albertus Krantzius lib. I. Vandaliæ cap. 35. qui imperium in Occidente ab Augustulo usque ad Carolum Magnum annis plusquam trecentis vacasse scribunt. Quid igitur Illyricus somniabat, cum scriberet solos Italicos tunc scripsisse, et ex invidentia Odoacrem imperatorem appellare noluisse? Sed Martinus Polonus, inquit Illyricus,

contraria disertis verbis scribit. Sic enim ait: Augustulus cum videret Odeneum (ut ipse eum nominat) interfecto suo patre Oreste, jam totam Italiam tenere, sponte ei exuens purpuram, de imperio cessit. At non recte legisti, aut de industria more tuo, Illyricæ, pervertisti verba Martini. Ille enim Conradum (ut videtur) secutus, sic ad verbum scribit: Augustulus sponte purpuram abiciens, imperialem deposuit majestatem. Abiecit igitur ac deposuit imperium Augustulus: sed neque ipse illud Odoacri tradidit; neque Odoacer; ut jam satis perspicue a nobis est demonstratum, assumpsit.

Sed fac, si placet, Odoacrem imperatorem Romanorum fuisse, adde etiam, ab exercitu dictum, a senatu et populo confirmatum; atque (ut nihil desit) voluntas quoque Græci imperatoris accesserit: quid hæc ad Carolum Magnum? Odoacer Herulus fuit, Carolus Francus. Qua igitur lege hic illius hæres constituitur? Odoacer paulo postquam Italiam occupasset, a Theodorico rege Gothorum, et vita et regno spoliatus est. Qua ratione igitur amissam hæreditatem ad posteros transmisit? Odoacer Carolum annis trecentis et triginta circiter antecessit, atque interim Italia dominos sæpe mutavit Gothos, Græcos, Longobardos, quis igitur post tot sæcula, totque rerum mutationes, Odoacris hæreditatem integram Carolo repræsentavit? Ad Germanos, inquit Illyricus, imperium pertinet: Odoacer enim Herulus fuit, proinde Germanus. At cum tam Heruli, quam Franci, Germani sint, cur ad Francos potius quam ad Herulos imperium delatum est? Deinde Odoacer fuit Germanus, ita Severus Africanus, Heliogabalus Syrus, Maximus Thrax, Philippus Arabs, Decius Pannonius, Claudius junior Illyrius, Diocletianus Dalmata, Theodosius Hispanus, atque, ut alias nationes omittam, quæ imperatores Romano populo dederunt, Julius, Octavius, Tiberius, Caius, et cæteri quamplurimi, Itali fuerunt. Quo jure igitur propter unum Odoacrem imperium ad Germanos pertinebit; propter alios tam multos ad alias nationes, atque ad Italicam præcipue, non pertinebit? Quare non necessario ad eam nationem imperium pertinet, ex qua eligitur imperator. Quod vero post tempora Caroli Magni sola Germania sedes imperii facta sit, non virtus Odoacris, neque imperii ratio ac natura, sed solius Apostolicæ Sedis auctoritas fecit.